

ae Episcopum ab Hieronymo C. 131. inter *Viros Illustr.* relatum. Eorum initium est: *Post passionem et resurrectionem domini nostri ihesu christi et gloriosam eius ascensionem* &c. Abrumpuntur autem in verbis: *Ahuc peto domine, ut siquis basilicam in nomine meo* — levi sane dispendio.

Ceterum Codicem hunc iussu *Folknandi* Abbatis *Sitticii* inter annos 1150—80. scriptum fuisse, *Augustinus de Civitate Dei* inter *Codd. Patristicos* hoc *Vol.* relatus certum facit; ornatus enim utriusque ita geminus est, ut non ovum ovo magis.

## XLV.

- R. 8 Codex membraneus lat. Sec. ut videtur, IX. Foll. nunc 222. f. maj. literis Langobardicis luculentis per duas columnas exaratus, initiis picturatis, a *Michaele Troyso* U. J. D. quondam donatus *Archivio Domus SS. Apostolorum Clericorum Regularium de Vrbe Neapolis*, atque inde in Palatinam nostram delatus complectitur *Partem I. S. Bibliorum* edit. vulg. a *Genesi* ad *Judices*, eamque mutilam; est enim nunc initium a C. XXX. *Gen. v. 26. meam. Da michi uxores et liberos meos* &c. *Fol. 30. minio: Explicit liber genesis. Incipiunt capitula libri exodi. De infantibus hebreorum quos precepit pharao in flumine proici.* &c. Numerantur ejusmodi *Capitula CLIX.* caractere minori perscripta. *Fol. 73. Explicit Exodus. Incipiunt Kapitula Libri Levitici. Locutus*  
*Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

est dominus ad moysen de tabernaculo testimonii et de sacrificiis. &c. numero LXXXIV. *Fol. 104. Explicit Liber Leviticus. Incipit Capitula De Lib. Numeri. Recognitio duodecim tribuum facta a moyse et aaron! et a duodecim principibus a uiginti annis et supra preter leuitas.* &c. numero LXXIII. *Fol. 150. Explicit Liber Numeri Qui Appellatur Hebraice Vaiedabber (III.) Incipiunt Capitula De Libro Deuteronomii.* At vero haec absunt, unius modo columnae spatio vacuo eis relicto. *Fol. 188. p. 2. Explicit Helleaddabarim. Quod Nos Dicimus Deuteronomium;* et statim absque capitulatione sequitur *Liber Josue*, ad cujus calcem *fol. 215. p. 2.* notatur: *Explicit Josue Ben Nun. Incipit Sophthim. Id est Judicum.* A *fol. 223.* luculentus ille character in minorem, sed aequae coevum, mutatur, et quidem C. V. v. 14. columnaeque dilatantur, donec abrumpatur *Codex* in his C. XVIII. v. 6. verbis: *Qui respondit eis: Ite — — Quod sane dolendum non solum ob ejus adcuracionem, sed etiam venerandam speciem, et aevi illius καλλιγραφία.* In Monasterii cujusdam usibus eum olim fuisse declarant *Lectiones* in ecclesiastico Officio per annum haberi solitae hinc inde minio adsignatae.

## XLVI.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 955 XIII. Folior. 284. f. maj. jam per duas, jam per tres, etiam quatuor

tuor columnas luculente, nitideque scriptus, coloribus distinctus, et quondam Collegii S. J. Viennae continet *Libros Geneseos* et *Exodi* e versione vulgata cum *Glossa* ordinaria et interlineari. Singularis hic est Partium dispositio, multoque operosior inquisitio, quam nunc in *Bibliis glossatis* impressis habeatur. Initium ἀνεπιγροφως ita: *Cum omnes diuinos libros legimus in tanta multitudine uerorum intellectuuum qui de paucis uerbis eruuntur &c.* Ita bis per X. Articulos isagogicos proceditur usque ad *Geneseos* principium, atque hi XX. Articuli nihil aliud sunt, quam Προλεγόμενα illa, quae in *Bibliis glossatis* v. g. *Lugduni* 1545. inscribuntur *Prothemata Glossae ordinariae*, quamvis non profus eodem ordine progrediuntur. A tertia Décade ipsa in *Genesin* *Glossa* orditur Textum majusculum jam hinc, jam inde caractere minutiore, quemadmodum et inter lineas, stipans. Neque propterea cessat Divisio in Decades, ad quarum miniatos numeros passim Librarius in margine notavit: *Scinde t. id est textum*, vel: *Scinde sñ. Glo. id est, ut ego quidem interpretor: sensum vel sententiam Glossae.* Atque hanc quidem industriam intermisit a *Cap. XLI.* resumpsit uero cum *Exodo*, neque ab ea usque ad *Cap. XXXVI.* destitit. Magnificus sane fuerit, magni pretii et multorum Tomorum Adparatus Biblicus, si quidem socios Codex praefens habuit. At quoto cuique poterat ejusmodi opus contingere? Itaque

ridicule quidam de neglectu *Bibliorum* ante inventam *Artem* typographicam quiritati sunt. Ceterum dubium quoddam meum hic proponam. *Glossae* nostrae Autor passim *Walafridus Strabus* audit. *Sigebertus Gemblac.* *Anonymus Mellic.* et *Tritbemi* Seculo IX. viciniore, dum de eo agunt, *Glossae* non meminere. In Codice praesenti inter auctores alios ipse *Strabus* citatur. Praeterea, si quidem Autor ipse *Glossae* fuit, quid opus habuit eam ex ore *Rabani* aut ejus *Commentariis*, ut quidam tradunt, excipere? Citatur quidem in ea etiam *Rabanus*, sed longe maxima parte veterum PP. dictis constat. An deerant in celeberrimis *S. Galli*, *Fuldae* et *Augiae Divitis* Asceteriis hi fontes, quos *Walafridus*, ut erat vir doctus, per se adiret?

## XLVII.

Codex chartaceus hung. Sec. R. 8. XV. Folior. 161. 4. caractere atro crassiusculo perscriptus, et rubricis distinctus sequentes SS. *Bibliorum* Partes ad interpretationem vulgatam expressas continet: *Ruth*, *Judith*, *Esther*, e *Machabaeis* L. II. *Caput VII.* et *Caput VI.* a v. 18. *Historiam* nempe *Matris* et septem *Filiorum*, et *Eleazari* senis, *Baruch*, *Daniel*, et XII. *Prophetas* minores cum *Hieronymi* Prologo et notis Argumentis. Elocutio, ut quidem mihi linguae periti adfirmant, proba est. *Ruth* incipit: *Egy bironac napiban midon a birac feiedelmeked.*  
nec